


3/99

KALENDIS SEPTEMBRIBVS

MCMXCIX



RVMOR VARIVS



TOMVS 22

FASC. 129

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen **aeschlimann** publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	27.--
In ceteris Europae terris	sFr.	32.--
In terris trans maria sitis	US\$	30.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:
Udalricus Aeschlimann lic.phil.
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Christina Meier-Portner

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam
RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann** publicity
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg
INTERNET:
e-Mail: 113376.1317@compuserve.com
Homepage:
http://www.friends.bbb.ch/macdiga/rumor_varius

Institutum pecuniarium:
UBS, Zürich-Oerlikon
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei **aeschlimann** publicity herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	27.--
Europa	sFr.	32.--
Übersee	US\$	30.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:
Ulrich Aeschlimann lic.phil.
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout: Christine Meier-Portner

Druck: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:
RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann** publicity
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg
INTERNET:
e-Mail: 113376.1317@compuserve.com
Homepage:
http://www.friends.bbb.ch/macdiga/rumor_varius

Institutum pecuniarium:
UBS, Zürich-Oerlikon
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Forsitan paginam 45^{am} libelli 2/99 RUMORIS VARIII nuper editi legentes paululum mirati sitis, quod carmen 'Novarum consuetudinum incommoda' ab Oreste Carbonero compositum iam antea, in pagina 43^a, vidistis, cari legentes. Causa erat neque calor aestivus, qui sensus vestros turbaverit, neque nimius potus cerevisiae ad sitim depellendam neque alia sensuum fallacia, sed nostra culpa: Re vera idem carmen per errorem bis publicavimus. Veniam petimus.

Nunc autem argumentum nobis proponendum est, cui libellum 5+6/99 dedicabimus, ut ex anno 1994^o consuetudo est. Etiam hoc anno thema proponimus, de quo plurima et varia scribi posse putamus:

'De alienis terris et gentibus'.

Nunc denuo vos, cari legentes, invitamus et rogamus, ut multas et varias symbolas nobis mittatis, sive de terris, in quas itinera iam fecistis vel iam diu peregrinari cupitis, sive de terris et gentibus, qui vos imprimis delectant, sive de moribus et consuetudinibus aliarum gentium procul vel prope vitam degentium, sive de variis modis iter faciendi.


Non dubito, quin semper iucundum sit consuetudines et mores aliorum hominum cognoscere. 'Iter facere nos erudit' proverbium est.

Ulixes non sua sponte per multas terras erravit, in ponto iactatus est multaque alia passus est, tamen

"πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω"
(multorum hominum urbes vidit et mentem cognovit)

ut Homerus poeta in prooemio (versus 3) Odysseae narrat.

Exspectamus, speramus, desideramus symbolas vestras, cari legentes. Mittatis nobis, quaesumus, non aliter ac annis praeteritis, opera vestra, ut hoc quoque anno libellus noster multa et varia legendo digna contineat. Maximas gratias et nostri et omnium legentium vobis fore constat.

Valete!

Daniel Weissmann


Navigatio fatalis vel poena rerum naturae

Non ignotum est homines quosdam aetate nostra rerum naturam, animalia, arbores, flores, aquam aëremque sive negligentia sive socordia sive stupiditate sive malitia aspere et male tractare.

Raro autem homines impune id faciunt, et rerum naturae poena serius aut citius sequitur. Si aliquantum temporis praeteriit, quoad eventus facinorum hominum manifestantur, alii intellegunt eos ex factis suis ortos esse, alii autem mentibus obstinatis neque comprehendunt neque alicuius culpae sibi conscii sunt.

Accidit exempli gratia, ut homines animalia quaedam in tabernis animalium emunt, aliquantisper curant, sed non multo post taedium eorum capiunt et scelus committunt, quod est facillime factu: Animalia destituentes eiciunt vel exponunt, imprimis hoc tempore aestivo, si iter facere in alias terras cupiunt et animalia domestica subito eis molesta sunt.


Videte hanc fabulam imaginibus ornatam, quam ante nonnullos annos in actis diurnis Bernensibus, quibus nomen 'Acta Diurna Bernensia' ('Berner Zeitung', breviter 'BZ') inveni et in Latinum verti. Etiam si ficta est, veri non experts et iucunda lectu et spectatu mihi videtur.



Olim consuetudo parvas testudines aquatiles Floridianas animalia domestica possidendi homines invasit. Itaque Lucius quoque tales testudines in taberna animalium emit.



Testudines quidem magnitudine creverunt, sed ista consuetudo eas possidendi praeteriit et desiit. Etiam Lucius testudinis suae taedium cepit et eam noctu obscura in proximum lacum clam exposuit, quod alii quoque facere solebant. Hoc facinus errorem gravem fuisse posterius apparuit.




Lucius, inopinans se eo facto initium eventuum continuorum fecisse, qui postremo ei fatales futuri essent, domum abiit.



Quia testudines magno numero expositae herbas aquaticas et alia animalia lacus deleverunt, oportebat ad eas oppugnandas hostem earum naturalem exponi.



Hostis naturalis silurus (Wels) erat. Qui autem testudinibus devorandis in magnitudinem ingentem crevit et periculum anatum, canum, piscatorum navigatorumque factus est.



Nescimus, num Lucio, cum a siluro ingenti caperetur, satis temporis superfuisset ad cognoscendum se propria culpa sua interire.

Daniel Weissmann

Proverbia Hispanica

Palabras y plumas, el viento las lleva.

Et dicta et plumas ventus aufert.

*

Voces de asno no llegan al cielo.

Voces asini in caelum non perveniunt.

*

Más vale pájaro en mano que buitre volando.

Avis in manu plus valet quam vultur volans.

Mal de muchos, consuelo de tontos.
Multorum malum, consolatio stultorum.

*

Preguntando se va a Roma.
Interrogando Romam pervenitur.

*

Cosa mala nunca muere.
Res mala numquam perit.

*

En largo camino y chico mesón conoce el hombre a su compañero.
In itinere longo et in parva casa homo comitem suum cognoscit.

*

Haz rico a un asno, y pasará por sabio.
Asinum divitem fac, et sapiens habebitur.

*

La mujer y el vino sacan al hombre de tino.
Mulier et vinum virum perturbant.

Si fueres bueno, para ti el provecho; si fueres malo, para ti el daño.
Si bonus fueris, fructum tibi erit; si malus fueris, damnum tibi erit.

*

Agua coge por harnero, quien cree de ligero.
Aquam cribro capit, qui temere credit.

*

Cosa hallada no es hurtada.

Res inventa non est furto subducta.

*

Más vale agua del cielo que todo el riego.
Aqua caeli plus valet quam omnis irrigatio.

*

Hombre porfiado, necio consumado.
Homo pertinax, stultus perfectus.

Mucho vale y poco cuesta a mal hablar buena respuesta.
Valet multum et parvi constat dictis malis bene respondere.

*

Dear y hacer no comen a una mesa.
Loqui et agere non ad unam mensam edunt.

*

Carga que a gusto se lleva nada pesa.
Onus, quod libenter portatur, pondus non habet.

*

Cuando el arroyo suena, agua lleva.
Rivus cum sonat, aquam fert.

*

Ama a quien no te ama, responde a quien no te llama, andarás carrera vana.

Ama eum, qui te non amat, responde ei, qui te non vocat, et in cursu vano vades.

In Latinum vertit Daniel Weissmann

Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA **IDIBUS SEPTEMBRIBUS** EST! SOLVTIONES IN VNO LIBELLORVM SEQVENTIVM DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
 secundum et tertium praemium LIBELLVS

1	2	3	4	5		6	7		8
9						10			
11				12	13			14	
15				16			17		
18			19			20		21	
22		23				24	25		
26									
27				28					
29		30	31				32		
		33				34			
35									

ad libram

- | | |
|---|-------------------------------|
| 1 festum cuidam deae Graecae celebratum | 34 locum deorum sacrum (Acc.) |
| 9 voce non clara (adverbium) | 35 dulcissima |
| 10 coniunctio Latina | |
| 11 201 (Latine) | |
| 12 lanam tracto | |
| 14 coniugi optimo (breviter) | |
| 15 ... et nunc: sine mora | |
| 16 vultus vel facies | |
| 17 "... victis!" Brennus, Gallorum dux, exclamavisse fertur | |
| 18 in fronte (breviter) | |
| 19 quaedam herbae (Nom. pl.) | |
| 21 sine numero (breviter) | |
| 22 margine vestis (Abl.) | |
| 24 callidi vel faceti | |
| 26 absconderas | |
| 27 curam agens (breviter) | |
| 28 per deos affirmans | |
| 29 statuae Mercurii dei, quae in viis et areis Graeciae collocabantur | |
| 32 urbs Graeca in Ionia sita, Anacreontis poetae patria (Gen.) | |
| 33 praepositio Latina | |

ad perpendicularum

- | |
|---|
| 1 poeta Graecus iambis clarus |
| 2 bellum conficientes (Nom. pl. f.) |
| 3 pronomen demonstrativum (Dat.) |
| 4 reficiendum curavit (breviter) |
| 5 cauponae vinariae (Nom. pl.) |
| 6 Leucothea, dea maritima |
| 7 pronomen reflexivum |
| 8 venustissima |
| 13 consumpti vel devorati |
| 14 arbor quaedam (Acc.) |
| 19 ... Simbel: Locus Aegypti, templis antiquis clarus |
| 20 arbor quaedam |
| 23 1100 (Latine) |
| 25 instrumenti, quo agricola uti solet (Gen.) |
| 30 ... Silvia: mater Romuli Remique |
| 31 1015 (Latine) |
| 34 nummus Romanus |

Daniel Weissmann

SOLUTIONES

Ecce solutio aenigmatis libelli 2/99:

1	A	U	R	E	M
2	U	L	I	X	I
3	R	I	P	I	S
4	E	X	I	R	E
5	M	I	S	E	R

1. in capite est (Acc.)
2. heros Odysseae (Dat.)
3. flumen duas habet (Abl.)
4. egredi
5. afflictus

Barbara Maier

"FELIX QUI POTUIT RERUM COGNOSCERE CAUSAS"

(Verg. Georg. 2, 489)

In regno Arelatensi, comitatu Aquense territorioque urbis Arelatensis aquae nimio frigidissimorum flatuum rigore congelantur in glaciem: effectuque contrario prae nimio solis ardore sub Augusti fervore, aqua salsa congelatur et condensatur in salis coagulum. Ex hinc ergo sumi ratio potest, quare mare Oceanum circui non potest discursu navigantium. Hinc enim, frigore congelatum sub septentrione, fit rigidum; illinc nimio solis ardore spissatum, transeuntibus efficitur ab Euro ad Austrum et meridiem immeabile.

(secundum Gervasium Tilleberensem, Mareschalcum Regni Arelatensis saeculo XII°).

rettulit Stella Gitta

DE PUTEO ET PENDULO

(The Pit and the Pendulum, 1843)

Edgarii Allani Poe fabula formidulosa in Latinum conversa

Pars altera

Omni fibra tremante manibus pedibusque praetentans redii ad parietem constituens, ut potius ibi perirem quam aleam subirem terrorum putei, quales multos nunc in variis locis carceris imaginatus sum. Animus meus alia condicione si fuisset, puto me capto animo miseriam meam finituum fuisse eo quod desiluissim in aliquem ex his abyssis; at nunc fui ignavorum ignavissimus. Praeterea non potui oblivisci, quod legeram de his puteis - secundum finem eorum horribilem fieri non posse, ut vita statim exstingeretur. Animo commoto vigilabam per multas horas longas; sed denique iterum obdormivi. Experrectus iuxta me, sicut antea, inveni panem et urceum aquae. Siti ardenti cum consumerer, vas uno haustu vacuefecit. Dubium non est, quin infectus sim medicamento; nam vix ebiberam, cum inevitabiliter factus sum somniculosus. Somnus me oppressit artissimus - somnus morti similis. Quamdiu hic somnus profecto factus sit, nescio; sed oculis denuo apertis vidi res mihi circumiectas. Miro quidem lumine sulpureo, quod unde veniret primo non potui cognoscere, facultas mihi fuit custodiae ambitum et formam videndi.

In eius amplitudine determinanda vehementer erraveram. Totus circuitus parietum non excessit viginti quinque ulnas. Inde factum est, ut ingenti cum pertinacia in vanum muginarem - profecto in vanum! Nam quid potuit esse minoris momenti - qua eram condicione terribili - quam verae dimensiones carceris mei?

Sed animus meus mirum in modum occupatus erat nugulis pernoscendis, ut perscrutarer errorem meum mensurandi. Denique causa intellecta vehementer stupefactus sum. Primo conatu explorandi numeraveram quinquaginta duos gradus, usque ad tempus, quo cecideram; necesse est me tum fuisse uno aut duobus gradibus remotus a panniculo sargii; profecto per fornem paene totam ieram. Tum dormiveram et necesse est me experrectum repetivisse iter modo factum, - ut opinarer circuitum esse fere altero tanto longiorem quam revera fuit. Perturbatus cum essem, impedi

tus sum, ne animadverterem me iter incohasset a sinistris sito, sed cum finirem, parietem fuisse a dextris.

Deceptus quoque eram, quantum attinebat ad claustrum formam. Praetentando iter faciens inveneram multos angulos, ut animo fingerem fornicem esse valde irregularem; tantum valent tenebrae absolutae ad hominem e lethargia aut somno experrectum! Anguli enim nihil fuerunt nisi nonnulli loci depressi aut aediculae variis distantibus parieti immixtae. Forma custodiae generalis erat quadrata. Quod putarem esse opus murale, nunc visum est ferrum aut aliud metallum huiusmodi, magnis laminis, quarum suturis aut iuncturis formatae erant aediculae. Tota superficies huius claustrum metallici more rudi oblatae erant omnibus illis lineamentis atrocibus et taediosis, quae effecta sunt funesta monachorum superstitione. Figuris diabolorum minacium, formis sceletorum et aliis imaginibus etiam horribilioribus parietes erant obiecti et defoedati. Animadverti lineas talium monstrorum exteriores esse satis distinctas, sed colores videri dilutos et remissos tamquam effectum aeris umidi. Nunc conspexi solum quoque, quod erat lapideum. Medio in claustrum hiabat puteus circularis, cuius fauces effugeram; sed hic fuit unicus in carcere. Haec omnia vidi indistincta et magno cum labore: nam me dormiente condicio mea valde mutata erat. Nunc supinus eram integra longitudine corporis prostratus in quadam lignea compage humili. Eidem firme alligatus eram cingulo, quod simile erat longo funi. Quo convoluta erant membra corporis mei, ut nihil remaneret liberum nisi caput et brachium meum sinistrum tanto, ut aegerrime possem accipere cibum e patina terrena, quae posita erat iuxta me. Horrens vidi urceum esse remotum. Dixi me horruisse - nam enecabar siti intolerabili. Quae sitis visa est consulto stimulata esse a meis persecutoribus; nam cibus patinae impositus erat caro condimentis acerrimis condita.

Sursum suspiciens consideravi lacunarum custodiae. Quod fuit aliquot triginta aut quadraginta pedibus altum similiterque constructum ac parietes laterales. Animus meus penitus conversus est ad figuram vere singularem cuidam ex tabulis lacunarum impositam. Quae fuit picta figura ipsius *Χρόνου*, qualis solet exhiberi, excepto eo, quod loco falcis idem tenebat aliquid, quod primo aspectu putavi esse imaginem pictam vasti penduli, quale videmus in horologiis antiquis. Sed inerat huic machinae aliquid, quo motus sum, ut attentius aspicerem. Dum pendulum duris oculis directe considero (nam idem supra me ipsum situm erat), subito mihi

videtur moveri. Momento post haec opinio est confirmata. Oscillationes eius erant breves et profecto lentae. Consideravi pendulum per nonnullas minutas, aliquatenus timens, sed magis stupefactus. Denique eius motione monotona observata fatigatus oculos conieci in alias res cellae insitas.

Animus meus conversus est ad stridorem submissum et solum conspicatus vidi nonnullos rattos enormes idem transcurrentes. Qui exierant e puteo, qui situs erat intra visum meum a dextris. Cum maxime eosdem aspectarem oculis duris, venerunt agminatim, propere, avidis oculis, odore carnis allecti. Itaque valde laborabam et attendebam, ut eosdem fugarem. Transierat hora dimidia, fortasse integra (nam spatium temporis non iam bene aestimare potui), antequam oculos meos sursum conieci. Eo quod deinde vidi animus meus confusus atque stupefactus est. Oscillatio penduli enim fere ulna extensa erat. Natura effectum erat, ut eius velocitas quoque augetur. At maxime perturbatus sum eo quod evidenter erat *demissum*. Nunc animadverti - vanum est dicere, quanto cum horrore - eius finem inferiorem esse lunam cornualem e chalybe corusca confectam, quae ab uno cornu ad alterum unum fere pedem complecteretur. Cornuum cuspides erant sursum erectae, acies autem inferior evidenter tam acris erat quam novacula. Tamquam novacula quoque pendulum visum est grave et compactum, ab acie transiens in structuram superiorem latam et solidam. Appensum erat ponderoso baculo orichalcino. Tota autem machina per aerem oscillans stridebat.

Non iam dubitavi, quid mihi esset destinatum monachorum daedala ratione torquendi. Ministros Inquisitionis non praeterierat me invenisse puteum - *puteum*, cuius horrores erant destinati haeretico tam obstinato quam mihi - *puteum*, gehennae imaginem, quae rumore dicebatur esse omnium poenarum *Ultima Thule*. Sola forte fortuna evitarem, ne incidere in puteum; scivi autem tormenta rebus fallacibus et necopinatis insignia esse partes gravissimas caedium in talibus carceribus horribiliter parandarum. Quamvis non decidissem in puteum, non congruit cum consilio daemonum me vi deicere in abyssum; itaque mihi manebat (aliud non dabatur) excidium aliud et mitius. Mitius! Paene subrisi angore cruciatus cum cogitarem de tali notione tali in re adhibenda.

Quid narrem de longis, longis horis horroris mortali maioris, quibus numeravi stridulas chalybis vibrationes! Ab uncia ad unciam, a linea ad lineam - dum pendulum demittitur intervallis, quae mihi videbantur esse

saecula - deorsum veniebat, etiam deorsum! Dies transacti erant - fortasse multi dies transacti erant - usque dum pendulum tam propinque supra me oscillatum est, ut afflaret halitu eius mordaci. Odor acris chalybis invadebat in nares meas. Orabam - clamabam ad caelum, ut pendulum celerius demitteretur. Coepi furere, rabie correptus me proripui contra horribilem acinacem oscillantem. Tum autem subito tranquillatus sum, blandule renidui morti coruscanti sicut infans miris crepundiis.

Novum fuit intervallum, quo animus penitus erat alienatus: quod fuit breve; nam usque dum resipui, pendulum non erat visibiliter demissum. Fortasse idem tamen longum fuerat; nam scivi daemones esse, qui animadverterent animi mei defectionem et qui fortasse vibrationem penduli remorarentur ad libitum. Postquam resipui, fui etiam valde - oh, ineffabiliter aegrotus et infirmus, quasi diu esurivissem. Mediis in istis angoribus tormentuosis natura humana petivit cibum. Cum labore doloroso extendi brachium meum sinistrum tanto, quanto potui quamvis vinctus, et possedi parvum residuum mihi a rattis relictum. Parte eius labiis meis imposita subiit animum meum cogitatio semiperfecta gaudii - spei. At quidnam spes ad me? Fuit, ut dixi, cogitatio semiperfecta - hominibus multae sunt huiusmodi, quae numquam perficiuntur. Sensi hanc esse cogitationem gaudii - spei; sed sensi quoque eam exorientem iam periisse. Frustra luctabar eandem perficere - recuperare. Longa passione mentis meae vires ordinandi omnes erant exhaustae. Fui imbecillus - fui mente debilis.

Pendulum vibrabatur rectis angulis ad longitudinem meam. Vidi lunam designatam esse ad regionem cordis mei perstringendam. Primo eadem scissura erat sargium vestimenti mei - reversura actionesque suas repetitura - iterum iterumque. Quamvis pendulum oscillaretur terribili cum amplitudine (aliquot triginta aut plurium pedum) et demitteretur sibilanti cum vigore, qui sufficeret ad ipsos parietes ferreos diffindendos, tamen eodem per nonnullas minutas nihil effectum iri nisi vestimentum meum discinderetur. Et in hac cogitatione constitui. Non enim ausus sum rem prosequi ultra hanc meditationem. In eadem commoratus sum pertinaci cum attentione - quasi in ea commoratus *nunc* remorari possem chalybis demissionem. Ipse me coegi, ut meditarer de sono lunae vestimenta percidentis - de peculiari horrore, quo nervi perfunderentur vestimentis fricatis. In his nugis aestuabam, dum dentes mei inter se collisi sunt.

Deorsum - magis magisque deorsum pendulum est delapsus. Vesantum gaudium percepi eo quod eius velocitatem lateralem comparabam cum

velocitate delabendi. Dextrorsum - sinistrorsum - longe lateque - cum clamore spiritus damnati; pendulum clam adibat cor meum incessu tigridis! Modo ridebam modo ululabam, prout hoc aut illud magis animo fingerem.

Deorsum, certe, immisericorditer deorsum! Vibrabat tribus unciis a pectore meo remotum! Vehementer et furiose luctabar liberare brachium meum sinistrum. Quod liberum non erat nisi ab ancone ad manum. Eandem movere poteram a lance iuxta me posita usque ad os meum, magno cum labore, sed non latius. Si potuissem discindere vincula supra ancona, comprehendissem et temptassem remorari pendulum. Haud minus bene temptassem remorari labinam!

Deorsum - etiam indesinenter - etiam inevitabiliter deorsum! Omni vibratione anhelabam et luctabar. Omni oscillatione membra mea convellebantur. Penduli vertigines extrorsum et deorsum versas oculis meis sequebar cum cupiditate, quae effecta erat desperatione vesanissima; pendulo demisso oculi convulsive clauderentur, quamquam mors mihi fuisset levatio, oh! quam ineffabilis! Tamen trepidabam omni nervo cogitans, quam levi demissione machinae ista acris ascia coruscans praecipitaretur in pectus meum. *Spes* erat, qua nervus excitaretur, ut trepidaret - corpus, ut concuteretur. *Spes* erat - spes, quae triumphat ipso in tormento - quae susurrat in aures capitis damnatorum ipsis in carceribus Inquisitionis.

Vidi aliquot decem aut duodecim vibrationibus factis chalybe attactum iri vestimentum meum; quo observato subito animum meum subiit acris et firma tranquillitas desperationis. Ex multis horis - aut fortasse diebus - primo *cogitavi*. Nunc animadverti taeniam aut cingulum, quo involutus eram, esse *unicum*. Nullo loco alligatus eram chorda separata. Luna novaculae simili si qua pars ligamenti primo incideretur, idem ita solveretur, ut fortasse manu sinistra ex eodem me evolvere possem. At si ita foret, quam horribilem fore chalybem mihi proximam! Effectum nisus levissimi quam mortiferum! Praeterea, num esset verisimile ministros carnificis hanc rem non praevidissem neque eidem providissem? Num esset probabile ligamentum ita esse trans pectus volutum, ut congrueret cum orbita penduli? Timens, ne invenirem me spe infirma et, ut videbatur, ultima, esse deceptum, caput tanto sustuli, ut distincte viderem pectus meum. Cingulo membra et truncus corporis quoquoversus firme involuta erant - *excepta via lunae mortiferae*.

Caput vix reclinaveram, cum mentem meam subito subiit aliquid, quod

nescio melius describere quam ut dicam dimidiam tantum partem non formatam illius ideae liberandi, ad quam antea allusi, et cuius dimidia tantum pars indeterminate cerebrum meum perfluxerat, cum cibum tollem ad labia mea ardentia. At nunc praesens erat tota cogitatio - infirma, vix sana, vix definita, - tamen integra. Statim tremulo cum vigore desperationis suscepi eandem ad effectum adducendam.

E multis horis in locis humili compagi, in quo eram prostratus, propinquis borriebant ratti. Qui erant feroces, audaces, voraces: rubris oculis torpidis me aspectabant, quasi exspectarent me debilitatum iri, ut fierem praeda sua. 'Ad qualem cibum' cogitavi, 'isti sunt assuefacti in cisterna?'

Ratti, quamvis continuo enixus essem eos impedire, excepta exigua parte relicta devoraverant totum cibum patina contentum. Nam manu mea iterum iterumque trans patinam huc illuc agitata denique hic motus uniformitate sua factus est inefficax. Voraces ut erant, hae pestes saepe dentes suos acutos digitis meis impingebant. Particulis oleosae et conditae carnis, quae adhuc restabant, subtiliter inunxi ligamentum, ubicumque idem potui attingere; tum manu de solo sublata iacui immotus et exanimis.

Anglice scripsit
Edgar Allan Poe

in Latinum convertit
Nicolaus Gross
Germanus Coreanensis

(Narrationis pars tertia in proximo libello sequetur!)

De lingua Raetoromanica

(Allocutio semihorae in seminario Latino Morsacensi die 27° mensis Quinctilis anno 1999° a Martine Meier Palaeopolitano (= ex Altendorf) Helvetio habita)

*Charas partecipontas e chars parteaponts da quist seminar Latin, eu sun fich cuntant dad esser hoz cun vos e da discuurrer cun vos sülla problematica da la quarta lingua da nos pajais Svizzer!*¹

Taliter sonat lingua, de qua hodie pauca vobis sum propositurus.

Helvetia, ut bene scitis, linguistice divisa est in partes quattuor, quarum unam incolunt Theodisce loquentes, alteram Francogallice, tertiam Italice, quartam autem ii, qui ipsorum lingua Grisones, nostra autem Raeti appellantur.

Lingua Raetoromanica tantummodo a quinquaginta milibus hominum sermo cottidianus adhibetur. Hi omnes in pago Grisonum vivunt, nisi forte e patria in urbaniores Helvetiae regiones laborem et lucrum quaesitantes emigraverunt.

Non exstat autem unus Raetoromanus, qui solum Raetoromanice scit. Omnes sunt bilingues, nonnulli immo trilingues. Pagus Grisonum enim ipse divisus est in partes linguisticas tres. Plerique Grisonum Theodisce loquuntur, aliquot Raetoromanice, pauci Italice.

Sed, quam si conturbatio nondum nimia esset, Raetoromania ipsa dilabatur in quinque partes, ut vobis hic demonstrabo:

Exstant linguae Suprasilvanica (Sursilvan), lingua Subsilvanica (Sutsilvan), lingua Supramirana (Surmiran), lingua Putéra (Putér), lingua Valládra (Valláder). Quae omnes inter se maxime differunt, ut e.g. incolae Vallis Oeni (Engadin) cum incolis regionis Suprasilvanicae Theodisce quam Raetoromanice loqui malunt, quamvis utriusque domi linguam Raetoromanicam familiariter adhibeant. Homines scientifici quidem linguam communem Raetoromanicam, quam *Rumantsch Grischun* appellant, creaverunt, sed ea, cum sit artificiosa, a multis Raetoromanis recusatur.

Germanizatio, quae dicitur, magnum periculum est, quod Raetoromani cottidie Theodiscas televisorias et radiophonicas emissiones percipiunt, Theodiscos commentarios et libros legunt, cum hospitibus periegetis Theodisce loquuntur.

Nunc autem pauca ad ipam linguam: Raetia anno 15° ante Christum natum Caesare Augusto dominante a Romanis Druso Tiberioque ducibus occupata est. Ex quo tempore cultus et lingua Romanorum Raetis illata sunt. Indigenarum lingua Raetica pedetemptim lingua advenarum Romanorum propulsa est, sed fragmenta quaedam usque ad nostram aetatem supersticia remanserunt.

Latinitas in lingua Raetoromanica saepe melius conservata est quam in ceteris linguis Romanicis. Quod in his vocabulis bene cognosci potest:

Latine	Raetoromanice (Valladre)	aliis linguis Romanicis
albus,-a,-um	alv / alva	blanc, blanco, bianco
coccinus,-a,-um	cotschen / cotschna	rouge, rojo, rosso
ardere	ardair	brûler
caseus, -i m	il chaschöl	le fromage, il formaggio
caro, carnis f	la charn	la viande

Sed etiam lingua Theodisca linguam Raetoromanicam valde pervasit:

rusticus,-i m	il paur
proprius,-a,-um	aigen / aigna
autobiotarius,-i m	il töffist ²

Magis autem quam vocabula structurae syntacticae 'Germanizatae' sunt. Sic e.g. inversio non modo fit in quaestionibus, sed etiam, sicut in lingua Theodisca, cum sententia non subiecto, sed alio verbo incipit:

Latine:	Hodie Bernam eo.
Theodisce:	Ich gehe heute nach Bern.
Raetoromanice (Valladre):	Eu vegn hoz a Berna.

Sed:	
Theodisce:	Heute gehe ich nach Bern.
Raetoromanice (Valladre):	Hoz vegn eu a Berna.

Etiam locutiones saepe verbatim e lingua Theodisca in linguam Raetoromanicam transponuntur:

Latine:	Magistrum expectamus.
Theodisce:	Wir warten auf den Lehrer.
Raetoromanice (Valladre):	Nus spettain sül magister.
Francogallice:	Nous attendons le maître.

Fit interdum, ut Raetoromani vocabulum quoddam Raetoromanicum nescientes vocabulum Theodiscum inserunt. Audiri possunt exempla velut haec:

las telefonstangas, il kinderwägeli, il schwimmbad, las rüebblas;

recte dicendum est: **las püttras da telefon, la chargöla, il bagn da nodar, las rischgelguas.**

Sed talia et similia linguam Raetoromanicam vere curantibus perosa sunt, quod demonstrant, quam longe lingua Theodisca iam linguam Raetoromanicam invaserit.

Ut ad finem perveniam: Lingua Raetoromanica est lingua pulcherrima, vera Latinitatis filia, digna, quae posteris tradatur incolumis. Sed summo in periculo est, ne emoriatur, quod eam colere ad vitam cottidianam gerendam non omnino necessarium est, ne Raetoromanis ipsis quidem, quippe qui omnes Theodisce quoque plus minusve perfecte sciunt. Attamen multos fautores et intra et extra pagum Grisonum habet, qui, quantum possunt, provident, ne quid detrimenti capiat.

Nobis Latinitatis vivae amatricibus amatoribusque incepta illorum exemplo sint. Sicut illis filia, nobis mater servanda est. Dixi.

Martin Meier

¹Latine: Carae et cari hoc seminarium Latinum participantes, contentissimus sum, quod hodie apud vos esse et vobiscum de quartae linguae patriae nostrae Helvetiae problematibus colloqui mihi licet.

²Töff in dialectu Theodisca Helvetica autobiotam significat.



Me ludificentur sane, dummodo ne metuant

Saevo si suberis, puer, magistro,
indolem cohibebis arrogantem,
pronus iussa sequens acerbiora;
correptus subito timore, verba
prudenter retrahes labella mordens;
finges obsequium probans severas
normas impositas pigris alumnis:
sic poenas metuens oboedienter
maxillis tremulis silebis usque.
Sin autem tibi sit datus professor
indulgens iuvenalibus cavillis,
excusans animo malos sereno
pupillorum habitus scelestiorum,
ignoscens cicaronibus molestis,
falso deposito pudore sensim,
spretis moribus hisce perbenignis,
turbabis petulanter acroases;
reprensus merito, bonum refelles
censorem vitiis tuis medentem;
scurriles oriantur ut cachinni,
eius raucam imitaberis loquelam;
deses munera negleges scholarum.
Fac quodcumque voles, tenax aselle:
malo ludibrio placens haberi,
quam vultu horrifico minax timeri.

(Metrum Phalaecium)

Orestes Carbonero

- Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS VARIVS für mich selber)

- Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist.)

Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Rosenweg 7
CH - 8353 Elgg

RVMOR VARIVS
c/o D. Weissmann
Tellstrasse 30
3014 Bern


PP/Journal

4702 Oensingen

3/99

KALENDIS SEPTEMBRIBVS

MCMXCIX




RVMOR VARIVS



TOMVS 22

FASC. 129

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!



Nomen emittentis et inscriptio cursualis: